bendo aut pugnando vel phi-
losophando sed pie sancte re-
ligioseque vivendo. Quamquam
error huius litteris traditus
in tantum valuit ut multos
sui emulos vel inanis phi-
losophie vel stulte illius
virtutis invenerit. Unde
facturus michi opere precium
videor si vitam sanctissimi viri
exemplo aliis mox futuram
perscripsero quo utique ad veram
sapientiam et celestem miliciam
divinamque virtutem legentes
incitabuntur. In quo ita nostri
quoque racionem commodi ducimus
ut non inanem ab hominibus
memoriam sed eternum a deo
premium expectemus quia
et si ipsi non ita viximus
ut exemplo aliis esse possimus
dedimus tamen operam
ne is lateret qui esset imi-
tandus. Igitur sancti martini vitam
scribere exordiar ut que sancta
vel ante episcopatum vel in epi-
scopatu gesserit. quamvis ne-
quaquam ad omnia illius potuerim
pervenire adeo ea in quibus
ipse tantum sibi conscius fuit
nesciuntur quia laudem ab homi-
nibus non requirens quantum
in ipso fuit omnes virtutes suas
latere voluisset. Quamquam et-
iam ex hiis que comperta
nobis erat plura omisimus
quia sufficere credidimus si tantum
excellencia notaretur. Simul
et legentibus consulendum fuit
ne quod hiis pareret copia con-
gesta fastidium. Obsecro autem
eos qui lecturi sunt ut fidem
dictis adhibeant neque me
quicquam nisi compertum et pro-
batum scripsisse arbitrentur. Alio-
quin tacere quam falsa dicere
maluissem.